

*qui diversa jurgia per vadimonia mille jaclantur, viduarum orborum limina deterentes.*

§. XXII. Idem captandi studium varias fraudes suppeditabat aperiendi testamenti alieni, & ita quidem aperiendi, ut falso admissio in correctione aut additione ejusdem, non appareret, apertum fuisse, prout & hodie falsarii tales artes norunt aperiendi alienas literas. Solebant & hæredipetæ ex curiositate istam aperturam procurare, ut appareret, utrum instituti essent ab iis quos captabant, cum, ut dictum, multi eos eluderent. Igitur valde sollicitæ & anxie fuerunt leges Romanæ de obfignatione tabularum Testamenti, aliorumve etiam contractuum inter vivos, & de celatione voluntatum ultimarum. Ita de Nerone Suetonius c. 17 *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ, nisi pertusæ ac ter lino per foramina trajecto obfignarentur. Cautum, ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur, ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi ad scriberet.* Et huc respexisse videtur Paulus lib. 5. *sentent tit. 25. Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino constringantur atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent.* Atque hic disceptare nolumus, quod communiter ad istum locum Suetonii notant Commentatores, istas leges, vel certe earum partem de non adscribendo sibi legato, non esse Neronis sed Claudii, (conf. supra §. 17.) Ex hoc fundamento etiam videtur primario ortum duxisse distinctio Testamenti in scriptum & non scriptum, cum testamento scripto potissimum uterentur, qui occultare heredum institutionem vellent. Spectat huc l. 21. C. *de testamentis*, ubi imperatores, Theodosius & Valentinianus fanciunt, *licere per scripturam conficientibus testamentum, si nullum scire volunt ea quæ in eo scripta sunt, consignatam, vel ligatam vel tantum clausam*